Rozdrazewski Christoph. Alex: Plausus Sarmaticus in adventu Cracoviam Sereniss. Renatae Caeciliae etc

PLAVSVS SARMATICVS:

IN ADVENTV CRAC:

Serenissimae Principi & Dñae,

D. RENATÆ CÆCILIĘ,

Dei Gr: Archiducissæ Austriæ,

Ducissæ Burgundiæ, Styriæ, Carynthiæ, Carniolæ, Vittembergæ,

COMITISSÆ TYROLIS.

Serenissimi & Potentissimi Regis Poloniæ & Sueciæ. &c. &c.

D. VLADISLAI IV.

SPONSÆ.

Debitâ & officiosâ veneratione

OBLATVS.

Per Nobilem CHRISTOPHORVM ALEXANDRVM ROZDRAZEWSKI, Comitem in Rozdrazow: intereà Philosophiæ, & Eloquentiæ in Academiâ Cracouiensi, Studiosum.

Illustri & Magnifico Domino.

D. IACOBO SOBIESKI,

Supremo Regni Pocillatori:

Crasnostauień, Iauorouiensi. &c. &c.

CAPITANEO.

D. Colendissimo.

ILLVSTRIS & MAGNIFICE D.

PRImum iuuenilis experimentum eloquentiæ in Nobili iuuene Dño CHRISTOPHORO ROZDRAZEWSKI, *nepote Illustris D. V. ex Sorore, eidem tanquam eius Auunculo, & tutori legitimo, atque studiorum prudentissimo arbitro, offero. Existimauit magnâ indole Illustris Iuuenis, ad recentem gloriam, & consequentes in Repub. dignitates, sibi profuturum magnoperè, si inter officiosas Serenissimæ Reginali Maiestati plurimorum gratulationes, etiã ipse, quantumcunque posset ingenio suo, compa-*

reret. Scio longè inferiorem S. R. M. & vestræ in dicendo sublimitati, dictionem: Sed nec disertissimis quibusque contigit, vt cùm omnia dixerint, partem vllam tantæ M. attingerent meritorum. Aut quia etiam magnos olim Oratores, priusquàm robur illud dicendi per ætatem quæsiissent, necesse erat vagitum edidisse infantilem. Modicum erit apud Te Illustris D. quem eloquentiæ iucunda fama, per vniuersum Regnum ad omnium extulit admirationem; sed tamen non paruum ab eo Iuuene, cui Tu vnus propè & solus exemplar ad Rempub. benè ingrediendam, & quasi alter pater, tutelâ, affinitate, & cognationis caritate sis relictus. Iste parentum affectus est, vt balbutientem etiam, priusquàm maturescant, filiorum suorum auscultent libenter sermonem, neque eorum infirmitatem, ex suâ grauitate & autoritate metiantur. Est quod amet in nepotibus suis Illustris D. V. D. D. CHRISTOPHORO & IACOBO ROZDRAZEVIIS; magna morum & ingenij in vtroque elegantia, & sufficiens pro

ætate

ætate in politioribus & grauioribus studiis profectus. Eâ sunt in Academiâ modestiâ & morum comitate, vt nemo eos (ad quem non pertineat) adesse in vrbe arbitretur; ita rursùm docilitate, & intelligendi præstant capacitate, vt omnibus ad quos res eiusmodi pertineat, ad gloriam & profectum præire censeantur. Habebunt quod imitentur Illustres nati M. D. V. D. MARCVS & D. IOANNES SOBIESCIJ, columina familiæ suæ, hæredes non solùm facultatum, sed etiam virtutum paternarum: quorum alter, cælesti prouidentiâ, ancipite & deplorato releuatus morbo, vt esset qui non solùm vultu, sed etiam præclarissimis in Republ. meritis Inclytum D. Parentem suum, publico bono natum, olim in se repræsentet: habebunt, inquam, quod imitentur, cùm in Patre suo Illustri, & de patria meritissimo, tum in fratribus ad spem & commoda Reipub. maturescentibus gloriosè. Quibus felices annos, & virtutum istarum, quæ in tenellâ ætate, quasi in herba pulcherrimè se expromunt, fructuosam in

Repub.

Repub. maturitatem, magnâ Academiæ & Reipubl. expectatione, ex animo voueo & opto.

Illustri D. V.

deditissimus

IACOBVS VITELLIVS in Acad: Crac. Tylicianus Eloqu. Profess. Canonicus Ecclesiæ S. Annæ.

PLAVSVS SARMATICVS.

AD publicam felicitatem, quâ, pace florente, abundè perfruimur, noua acceſſit hilaritas, dum Auguſtiſſimam Sereniſſimæ Reginalis Maieſtatis præſentiam, Regni ſpem & Imperij Romani decus, intra Polonię Metropolim cōſpicamur. Gratus eſt nobis Tantæ Maieſtatis aduentus, & eò gratior, quòd nō ſolùm Sponſam Sereniſſimi Regis aduertimus; ſed etiam tantorum Imperatorum, quos fama, rebus pro Imperio clariſſimè geſtis, vltra cælos etiam extulit; qui ſe innumeris pro Patria & Religione periculis deuouiſſent, eorum ſanctiſſimam propa-

ginem intra mænia Vrbis istius videmus. Cuius vt ne prolixam maiorum prosapiam retexam, satis laudis habet, quod sit Cæsaris Filia, & eius Cæsaris, qui Religiosus in Deum, pius in Patriam, in subditos benignus, in vicinos comis habitus est semper; qui non solùm veterem Domus Austriacæ famam gloriosè retinuit, sed etiam amplissimè auxit. Quapropter quò plus in nos ornamenti, plus vtilitatis ex hoc memorabili coniugio deriuatum iri speramus, eò alacriores ad Serenissimam Reginalem Maiestatem accedimus salutandam. Dum enim videmus Cæsaris Filiam, venit nobis in mentem amplitudo Romani Imperij, quod licèt certis est definitùm dominandi limitibus, attamen fama eius nullis terminanda orbis terminis; quin ampliùs, quàm sol diffunditur propaganda. Ex hâc enim prodiêre multi Duces fortissimi, sapientiâ & clementiâ laudatis-

laudatiſſimi Principes, propugnatores libertatis Chriſtianæ, iuſti & æqui cuſtodes. Exijt & illud propugnaculum contra Hæreſim, robur Chriſtianitatis, Religioſiſſimus Romanorũ Imperator, FERDINANDVS II. Parens patriæ, & ſimul parens Sereniſſimę Reginalis Maieſtatis glorioſiſſimus. Cuius dum factorum meminimus, noſtræ ſimul propter hoc auſpicatum connubium, felicitati gratulamur. Ab eodẽ enim germine, à quo & libertas; ab eodem, à quo & vera Religio, emanauit. Neque hic finis noſtræ lætitiæ; non ſolùm enim Filia Cæſaris eſt, ſed etiam Sponſa Sereniſſimi Regis noſtri, Regni ſpes, quam talem arbitramur progeniem parituram, qualis ex eâ Domo, totius orbis propugnaculo fortiſſimo, naſcitur clariſſima. Et tametſi nõ eſt recens hæc nobis cum Sereniſſimâ Domo Auſtriacâ neceſſitudo, tamen hoc ſacratiſſimũ cõnu-

 bium,

bium, veteris illius necessitudinis est arctius firmamentum. Futurum enim est, vt hæc tam ampla, tam florentia Imperia, vigeant diutissimè, cùm nemine tam audacem hostem, tam perditum aduersarium, tam sceleratum Regnorum euersorē fore crediderim, qui non metuat vires Regum potentissimorū fæderatas. Vnde ad cōmunem non incurret quisquam offensionem, ex quâ sibi non paruum expectandum sit periculum. Quocircà cùm magnum sit nouos hospites, in vrbe Regni Principe, gratulationibus excipi publicis; tamen supra modum eximium est & insigne, Filiam Cæsaris victoriosissimi, tot Cæsarum Neptē & propaginem sanctissimam salutari, at maximum ex aduētu Serenissimæ Sponsæ Regis, animo gestire. Ad cuius Maiestatem honorificè ornandam, dum breuiter, pro officio meo, non pro eius Maiestatis amplitudine, dixero; obse-

ro; obſecro, vt in dicēdo mediocritatem, officio potiùs & fidelitate meâ, quàm ſuę Maieſtatis amplitudine metiatur. Neque enim ad eius Maieſtatem ſatis pro merito decorandam, accōmodatus eſt mihi ſermo, neque vis dicendi cum tanti Imperij amplitudine comparanda.

Plurima equidem reperiuntur, quæ beatitudinem ciuibus, felicitatem Rebuspub. conferunt abundè, Sereniſſima Reginalis Maieſtas. Etenim propugnacula fortia, mænia inuicta, robur militare, ſunt certiſſima ciuitatis ſalus & florens beatitudo. Verùm cùm inde alia ſegnes ciues, alia faciant iniurioſos; hanc ſolùm beatam & felicem Rempubl. crediderim, in quâ, amore & neceſſitudine coniuncti ciues, arctiſſimo inter ſe amicitiæ nexu ſociantur. Difficile enim eſt amore deuinctos rumpere; amicitiâ iunctos, armis opprimere; beneuolētiâ ſociatos vin-

cere, quibus magis amor quàm iniuria, necessitatem præliandi imponit. Vnde ij qui alienorum bonorum sunt pestis & vorago perniciosa, qui inhiant libertati populorum opprimendæ, occasionem talem aucupantur, vt simul, atque aliquantisper dispiciant ciues, vel potiùs mutuis inter se permisceantur odijs, intereà Rempub. opprimant, & improbam liberis inferant seruitutem. Hæc si in ciuibus plurimùm valent, quantò magis valitura sunt vbi non vnius Reipub. ciues, sed multorum Regnorum, Prouinciarum, Nationum, ad inuicem sociantur, vbi in pluribus mutuus amor adeó suas radices agit, vt quos limites disiungunt, hos ille vinciat, & qui discrepant linguâ, animo sint eodem. Proindè tametsi Regnũ nostrum famâ præstantissimis quibusq; populis æquale, cum Sacratissima Domo Austriacâ Regum & Principum Christi-

 anorum

anorum domicilio, arctiſſimè ſemper & concorditer vixit, non tantùm vicinitatis iure proximo, ſed etiam tenaciſſimis amicitiæ vinculis nexum & colligatum, tamen nunc maiore quadam neceſſitudine vinciendum, vbi Rex noſter Clementiſſimus Sereniſſimam Reginalem Maieſtatem Veſtram de Domo Auſtriacâ in Sponſam ſumit, quæ famâ maioribus Illuſtri, clariſſimâ Domo, glorioſâ parente, nunc lucem Orbis Sarmatici iucundè aſpexiſti. Vtque cætera membra ad capitis, tanquam præſtantioris membri conſeruātur incolumitatem, ita futurum eſt, vt Regnum noſtrum eiuſque præſtantiſſima membra, à Domo Auſtriacâ omnem cum Reginali Maieſtate expectent incolumitatem & felicitatem: Matrimonia enim ſunt eiuſmodi, vt etiam plerumque diſſentientes animos vniant atq; conſocient. Nullus eſt tam ferox, nullus tam a-

micitiæ aduersus hostis, qui sanguinis iura aspernetur & contemnat. Sit quamuis ille importunissimus & fugitans hominum societatẽ, improbus aliquis sicarius, vel omnium bonorũ acerbus aduersarius; nemo tamen erit ita profligatus, & ab omni humanitate alienus, qui suæ omnino ex animo aboleat propinquitatis caritatem. Quod si hæc matrimonia faciant in ijs, qui omni vitâ & vitæ ratione secùm pugnant; quid hoc celeberrimum coniugium, in quo Serenissimi Sponsi, pari incedunt famâ, effecturum arbitramini? Ille Rex noster, omnium gentium, omnium sæculorum, omnis memoriæ facilè Princeps; Hæc decus Austriæ, Germaniæ gemma, Sacratissimi Imperatoris Filia felicissima: Quid, inquam, futurum arbitramini inter nos & totam Austriam, qui non solùm nunc ad mutuam amicitiam excitamur, sed diu florentem, nunc promouemus?

Non exiguam in nobis beneuolentiam ſuccreſcere erit neceſſe, vbi hæc ſanctiſſimi vincula connubij, non aliquos de inferioribus, ſed ipſos Principes famâ & decore eximios nectunt. Profectò augebitur in nobis charitas; mutua officia ſtudio promouebuntur maiori, contra hoſtem nos eodem animo, ijſdem armabunt armis. Non ſecunda fortuna ita erit grata, non aduerſa ita acerba, ad quam aut perfruendam, aut tolerandam potentiſſima duo Regna non inuitentur. Gratulor tibi Celeberrima Auſtriaca Domus, quòd ad maximum tuarum laudum cumulum, id etiam acceſſerit, vt omnibus prædicandam monumentis, omni memorandam poſteritati, in oram Poloniæ (famâ & rebus geſtis inſignē) Tuam tranſmittas propaginem, quæ non ſolùm toti Germaniæ, ſed Orbi ferè præſidet vniuerſo. Et licèt exinde non nimis veteri memoriâ habuerit dupli-

rit duplicem Polonia gemmam, Sereniſſi-
mas Reginas piè defunctas, tamen quò
plus ſanguinis Tui in Polonia, eò plus amo
ris. Cùm enim intereà hoc pignus tuum
videt, tanto in maiorem prorumpit læti-
tiam, quantò plura amoris à te indicia ac-
cepit. Gratulor & Tibi Polonia, quæ nul-
li populo rebus geſtis cedis, quód Domus
Auſtriacæ, Regum matris & fortium Im-
peratorum altricis, ſobolem ſinu tuo es
complexa. Non ſilendum coniugium, in
quo ſanguinis nexus Principum, ſignum
amoris populorum. Trepident barbari,
metuant rebelles, timeant fædifragi, dum
vident tantos populos, tam potentes, be-
neuolentiâ ſocios, amore propè fraterno
eſſe. Et tametſi viribus noſtris magis hac-
tenus, quàm alienis ſubſidijs niteremur,
tamen & hæc acceſſio Imperij Chriſtia-
ni, magnâ ex parte nos feliciores, & con-
tra hoſtem animoſiores efficiet, hoſtibus
verà plu-

verò plurimùm adimet animi. Cùm enim non solùm Amplitudinem Romani Imperij, sed etiam vim ac potentiam noster inspiciet hostis, quòd efferatā & vesanam tam rebellium, quàm fęderatorum suorum improbitatem hucusq; sustinuerit, concidet animo; nos verò gestiemus lætitiâ. Quod si nos aliquando aduersitate hostili & acerbioribus bellorum iniurijs contingat vexari, socialia subsidia inde parari posse; præsertim nunc dominante & rerū potiente Sacratissimo Cæsare, Serenissimæ Sponsæ Fratre. Qui eâ est felicitate in primo Imperij aditu, vt bellum tam inueteratum, tam diuturnū, quod distractis animis, infensis studijs, magnâ Christianitatis perturbatione, maximâ etiam quorumuis præstantissimorum nece, clade Prouinciarum & vrbium vastitate, tot annis gestum est, compescat. Ille etenim tam inuale-

scentem flammam, propè iam, prudenti cōsilio, extinxit ac sedauit; & quos fortuna incolumes esse voluit, eos vt Sacratissima presens Cesarea Maiestas moderatè ac pacatissimè regat, atq; in pristinam restituat dignitattem, magnoperè meditatur. Non progenerant degenerem aquilæ columbam; tanti sanguinis, tam victricis Domus, Regno nostro propaginem fore salutarem, nemini dubitandū. Vbi Sponsus genere & virtute prestans, Rex noster Inuictissimus, Sponsa verò tam rebus gestis maiorum suorum, quàm natalibus Augusta Princeps de Austria. Ille quātus sit, quotidianâ experientiâ docemur; hæc quanta, ex maioribus eius atque celebritate Domus planè colligimus. Ille gloriâ bellicâ famam Poloniæ & retinuit & auxit; hæc etiam Domus suæ præstantiam omni decentiâ Heroicâ cohonestauit. Ille clarum genus de stirpe Iagellonis & ceterorum

terorum Regum fortium ducit; hæc Cæsaris Filia, Cæsaris Neptis, quam dignitas cum Heroicis natalibus illustrârunt. Ex his igitur Parentibus, quam Sobolem habituri simus, quàm toti Regno optandam, apertum est. Nam vt virtus vitium non progenerat, ita omni probatione certius est, ex Regum sanctissimâ stirpe, non nisi communi bono vtilissimam prolem proficisci. Adolescet fæcunda proles in spem Patriæ, succrescet in Heroicas Patris sui virtutes, quibus ad Regnum, tanquam quibusdam gradibus, euehetur. Licet si enim apud nos plerunq, non tam ipsi successioni hæreditariæ, Regnum debeatur, attamen cum sanguine Regio iunctæ virtuti debetur. Vbi etenim posteri tui Serenissima Reginalis Maiestas, præclarè factis meruerint, & amorem in Patriam, pietatem in ciues declarauerint, publicis & liberis omnium suffragijs, erunt ad Impe-

 rium pro-

rium promouendi. Ita Sponſus tuus Sereniſſimus Rex noſter ad honoris in Regno prouectus ſublimitatem fortuna comite, virtute duce. A quo enim bello, quod frequens cum hoſtibus nobis infenſis eſſe ſolet, aut vigilantia, aut fortitudo eius Maieſtatis deſiderata ſunt? à quibus Comitijs eius vnquam defuit conſilium? vbiq; vel bello inſignis, vel conſilio prudens, pro bono Patriæ fortiter dimicauit. Tu quoq́, Sereniſſima Regina, clara ſtirpe, clarior virtute, Poloniam non ſolùm ob tam præſtans coniugium ingreſſa es, in quâ cum Sponſo Tuo, Sereniſſimo Rege noſtro, felix ac beata vt viuas, ſed etiã, vt hoc venerãdo ſanguinis nexu, Reipub. incõmoda, atq; cõmune diſcrimen, orbitatẽ, inquam, Principum à nobis amoliaris, optamus. Ex hâc enim diſſenſiones ciuiles oriuntur, ambitioſis occaſio ad appetenda Regni gubernacula offertur; ho-

ſtibus

ſtibus ad arma inferenda cõmodum tempus eſt, deniq; omnibus nefarijs, vt, quicquid dudum contra communem libertatem intra ſe molirentur, exerant in Remp. opportunitas conceditur. Quilibet enim (qui cupiditate æſtuat dominandi) iactat ſe dignum eſſe; alter alteri cedit nequaquàm; omnes dominari cupiunt, nemo ſubeſſe vult, dum non vident eum, quẽ ſanguis Regius, nec minùs cum ſanguine à maioribus deductæ virtutes commendent, quem natura animoſum, fortem, Imperio aptum creauerit, & Regijs gubernaculis, (vt ita dicam) deſtinauerit. Senſit Regnum noſtrum, quàm eſſet orbitatis Principũ miſera acerbitas, dum Caſimirus vltimus de poſteritate Piaſti, fatis cõceſſiſſet. Cùm enim, vt fas erat, Principi meritiſſimo honorificè ab Ordinibus vniuerſis, in Cracou: Baſilicâ perſoluerẽtur iuſta funebria, populus vehemẽtiſſimè

 luxit,

luxit, quòd ad exteros Principes, deficiente ſtirpe Piaſti, Regnum eſſet deferendum. Nemo erat qui intereà temporis non ingemiſceret, nemo qui non tangeretur vehementi dolore, eodem tumulo corpus fortitudine bellicâ clariſſimi Regis, & tam celebrem Domum, Regni Poloniæ Dominatricem, conſepultam eſſe ac penè obrutam; eodem impetu & Regem & Regnum fermè totum concidiſſe. Quod ſi populoſis Regnis, florentiſſimis Imperijs, tanta eſt ab orbitate Regũ formido, atque ſolitudo; eò maiore ſuſtentamur ſpe, in Sereniſsimæ Veſtræ Reginalis Maieſtatis aduentu, ſalutares olim Regno Principes ex hoc Sacratiſſimo cõnubio dandos, atque vetuſtam Reipub. & Ciuium calamitatem aliquando releuandam. Reditura nobis cũ S. Reginali Veſtrâ Maieſtate, omnia bona, & florentem Patriæ fortunam reſtituẽdam. Cuius felicitati

licitati & amplitudini dum Regalē Thronum diuturnum cōprecamur; tum eius ſalutaribus præſidijs & gratię Regali, non ſolùm præſentia noſtra officia, ſed conſequentis ætatis ſucceſſus, fideliter deuouemus.

DIXI.

CRACOVIÆ,
In Officina Typ. Matthiæ Andreouien.
Anno Dñi M. DC. XXXVII.